

V I R I S

CLARISSIMIS DOCTISSIMISQUE

GODOFREDO CHRISTOPHORO  
BECKIO

GERINGSWALD.

CHRIST. GOTTLOB HENNIGIO

ANNAEBERG.

GEORGIO FRIDER. STRANZIO

SCHLAIZA-VARISCO.

S. S. THEOL. CVLT. INDEFESSIS

SVM MOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

PRID. KAL. MAII A. O. R. MDCCXXXVII

RITE OBTEOTOS

NOMINE EORVM, QUI MODERANTE

V I R O

MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO DOCTISSIMOQUE

CHRISTIANO WEISSIO

S. TH. BACCAL. ET AD D. THOMAE AEDEM DIACONO

LONGE MERITISSIMO

DISPUTATIONIBVS DE REBVS SACRIS VACANT

GRATVLATVR

DE NECESSITATE CVLTVS DIVINI TVM INTERNI TVM EX-

TERNI EX RATIONE COMMONSTRATA PAVCIS EXPONENS

M. CAROLVS CHRISTIANVS WOOG.

L I P S I A E

LITTERIS TAKKIANIS.

13.

oll. diss. A  
38, 34

Diss. A. 238 (34)

~~A. 238 70~~

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



# V I R I

## CLARISSIMI DOCTISSIMIQUE FAVTORES ET AMICI AESTVMATISSIMI,



*Nullum unquam negotium lubens  
in me suscepi, sane illud est, quod  
societatis nostrae sodales mihi  
iam imponunt, quo VOBIS,  
me interprete, suos de novis,  
quos VESTRA singularis do-  
ctrina reportavit, honoribus  
testantur plausus. Et tantum  
abest, ut hoc molestum mihi sit, ut potius eo gratius acce-  
ptiusque accidat, quo magis semper in votis habui, ut laeta  
mihi affulgeret occasio, qua insignis mei in VOS studii  
atque amoris, cuius omnis ratio posita est in virtutibus  
VESTRIS eximiis, significationem edere possem. Hac  
itaque opportunitate non possum, quin me VESTRVM  
totum profitear, quin fausta quaevis ominer, quin acceptos,*

omnibus applaudentibus, honores & meo & sociorum nomine ex animo VOBIS gratuler. Vota insuper addo, ut alia mox virtutum VESTRARVM praemia has diligentiae VESTRAE primitias, quarum laetam nunc instituitis messem, insequantur feliciter, quo eam honoris attingere possitis metam, quam VOBIS proposuistis, boni omnes de VOBIS sperant, Parentes Honoratissimi exoptant. Si enim TVAM Clarissime BECKI, sacrarum & aliarum, quae huc faciunt, litterarum haud communem peritiam cogitem; si TVAM Clarissimi HENNIG Iegregiam in arte & disciplina quavis scientiam, quam indefessa TIBI comparasti diligentia, & quae TE omnibus reddit commendatissimum, mecum reputem; si denique TVOS Clarissime STRANZI singulares, quos in studiis fecisti, progressus mente mihi concipiam, non possum, quin magna de VOBIS augurer, & maiora semper expectem. Patiamini itaque Viri Clarissimi, ut leuem hanc opellam VOBIS offeram, atque benignos & faciles laboris huius VOS poscam iudices. De consociatissima collegii nostri voluntate nullo non tempore persuasissimum VOBIS esse poterit. De me autem velim VOBIS exploratum sit, me ad quaevis amicitiae VOBIS praestanda officia esse paratissimum. Dabam Lipsiae prid. Kal. Maii c1616 cc xxxvii.



## CONSPECTVS.

*Cultus diuini definitio §. I. Quis cultus DEI verus §. II.  
 Necessitas cultus diuini §. III. Cultus DEI vel inter-  
 nus vel externus §. IV. Quid cultus internus exigat  
 §. V. Qui eum negent §. VI. Partes cultus externi  
 §. VII. Eius necessitas §. VIII. Qui eum & quibus ar-  
 gumentis negauerint §. IX. Precum potissimum necessi-  
 tas §. X.*

### §. I.



**N**ecessitatem cultus diuini tum inter- Cultus diuini  
definitio.  
 ni, tum externi ex rationis princi-  
 piis commonstraturi, incipiamus  
 ab ipsa cultus DEO exhibendi de-  
 finitione. Eam autem sic damus,  
 ut sit complexus illarum actionum,  
 quae DEI causa, & ob cognitae  
 summas ejus perfectiones suscipi-  
 untur, ad significandam summam

Numinis venerationem, quaeque intermitterentur, si DEVS aut  
 plane non existeret, aut sane tam summe perfectus non esset  
 cognitus. Is itaque colere DEVM dicitur, qui ex perfectio-  
 nibus diuinis argumenta desumit actionum suarum, ex qui-  
 bus cognosci potest atque intelligi, se DEVM habere pro ente  
 perfectissimo. Quare si de cultu diuino quaeras id, quod in

Scholis rei forma appellatur, illam in eo positam esse puto, ut cognitio DEI & perfectionum diuinarum sit illud ipsum animi motivum, quo quis potius agat, quam non agat, & quo hoc potius, quam aliud agat, idque nulla alia de causa, quam quia intelligit, conuenire hanc actionem optime cum natura & perfectionibus DEI. Si paucis dicendum quod res est, cultus diuinus consistit in exercitio officiorum DEO debitorum. Illa enim in philosophorum placitis itidem per actiones, quarum rationes obligantes sitae sunt in perfectionibus diuinis, descripta inueniuntur.

§. II.

Quis cultus  
DEI verus?

Ex his patet, quam summe necessarium sit, ut is, qui verum DEO cultum exhibere studet, vera etiam atque viua perfectionum diuinarum notitia sit instructus; quantaque cura sit adhibenda, ut pestilentissima eorum opinio, qui DEVM existere negant, confutetur atque penitus reprimatur. Quomodo enim enti cuidam cultus praestari poterit, de cuius tamen existentia nondum conuictus est animus? Nec sufficit ut agnoscas ens quoddam, a quo haec rerum sit uniuersitas, sed oportet, ut summas etiam perfectiones huic enti tribuas. Si enim intellectum ipsi sapientissimum, si voluntatem libere agentem, si prouidam rerum omnium curam, si potentiam, benignitatem, & alias perfectiones denegaueris, si porro necessitatem absolutam intuleris, nullus cultui & venerationi locus erit, cessabit omnis honor, omnis amor, timor omnis, omnisque fiducia. Is itaque demum vere DEVM dicitur colere, qui adaequatas, quantum pro virium modulo fieri potest, attributorum diuinorum menti infixit notiones, cuiusque cultus ex vera perfectionum omnium, quae non nisi in solum DEVM cadunt, cognitione est oriundus. Hinc eorum tuto ut falsum reiicimus cultum, qui erroneas, maiestatique DEI multum derogantes, de proprietatibus diuinis fouent opiniones. Falsus igitur paganorum, quem diis suis exhibuerunt, cultus fuit, quia tum maxima scelera, parricidia & adulteria detestanda plane illis adscripsere, tum modo aliquo, qui bonam honestamque mentem non decet, sanguinis verbi causa humani effusione, ludis & saltationibus plenis spurcitiei &c. eos coluerunt. \*) Nec eorum DEO acceptus esse potest cultus, qui

ex

\*) Fufius hanc materiam diduxit Hugo GROTIYS de veritate reli-

ex pietatis simulatione illum externe tantum peragunt, sibi-  
que imaginantur, DEVM intimos cordis recessus non per-  
scrutari, sed opere tantum externo esse contentum.

§. III.

Diximus (§. I.) cultum, quo summum Numen excipien-  
dum est, absolui observatione officiorum ei debitorum. <sup>Necessitas</sup> Cum <sup>huius cultus,</sup>  
autem omne officium actio sit, ad quam lege obligamur, no-  
strum quoque erit, ut necessitatem harum actionum, quas DEI  
respectu subire iubemur, ex naturae & rationis lege demon-  
stremus. Et hic ante omnia monere debeo, nullum necessi-  
tatem cultus diuini demonstrandi argumentum exinde posse  
desumi, ac si hac officiorum observatione perfectionibus DEI  
summum aliquid addatur aut conferatur. Cum enim ratio  
summae beatitudinis, qua DEVS sine intermissione fruitur, in  
ipsa eius essentia sit inuenienda, nemo utique mortalium ipsius  
felicitati aliquid aut addere aut demere poterit. Sed si quis  
de necessitate cultus DEO exhibendi ex ratione conuictus  
esse cupit, is cogitet tantum, quemnam in finem DEVS hunc  
mundum condiderit; & statim deprehendet, nullum alium  
ab eo fuisse intentum, quam ut perfectiones suas patefaciat,\*  
Exigit itaque a creaturis, quibus hanc ob causam rationis  
usum concessit, ut ex sapientissima uniuersi huius fabrica  
summas fabricatoris intelligant perfectiones, easdemque mi-  
rentur, diligenterque meditentur. Quod si quis pro eo, ac de-  
eet, curatius fecerit, non poterit quin actiones suas, quas libe-  
re suscipit, ita moderetur, ne diuinis refragentur perfectio-  
nibus, sed ut & ex iis potius illae etiam pateant, seu, ut eas in  
gloriam DEI dirigat. Quicumque autem actiones suas alte-  
rius perfectionibus congruas reddere nititur, is actionum sua-  
rum motiua ex alterius perfectionibus desumit; Hoc qui fa-  
cit, alterum colere dicitur.

§. IV.

gionis christiana Lib. IV. integro, inpr. §. III. pag. 194. fq. Edit.  
Ioan. CLERICI.

- Potest & aliis adhuc argumentis necessitas cultus diuini ex ratione pro-  
bari. Sic Cl. WINCKLERVS noster in institutionibus suis phi-  
losophiae VVolfianae, Sect. I. Iuris Naturae, Cap. II. §. 2153. usque ad  
2157. p. 713. fq. eam ex principio Iuris Nat. demonstratam dedit;  
quod iubet, ut e pluribus, quae in nostra potestate sita sunt, id, quod  
honestate praestat, faciamus.

Cultus DEI  
vel internus  
vel externus.

Cum actionum humanarum haec sit differentia, ut aliae menti immaneant, aliae autem per corporis motus foras erumpant, vel, quod idem est, cum aliae sint internae, aliae externae; placuit quoque theologis pariter atque philosophis cultum diuinum, utpote qui actionibus ob DEI perfectiones susceptis absoluitur, in internum & externum dispescere. Liquido itaque apparet, cum fundamentum hujus distinctionis ex actionum humanarum differentia sit petitum, per *cultum DEI INTERNVM* nihil aliud intelligi, quam cogitationes de DEO ejusque perfectionibus, venerationi Numinis accommodatas. Quod si autem his internis animi actibus atque cogitatis externi quoque actus, qui multi & varii sunt, corporisque ministerio perficiuntur, respondeant, tunc *cultus* simul audit *externus*. Quapropter ille actionibus immanentibus, hic foras prodeuntibus absoluitur; Ille DEO & agenti tantum, hic autem simul aliis innotescit hominibus. Externus porro, per se solum consideratus, & cum interno non conjunctus, nullo modo cultus diuinus dici potest. Is enim demum, qui ex motiuo de diuinis perfectionibus desumpto actiones suas instituit, (§. I.) DEVM colit; quidquid autem illum mouet, ut aliquid agat potius, quam minus, id actionibus internis annumerandum est; hinc istae demum actiones externae, quando ex perfectionum diuinarum interna veneratione oriundae sunt, nomen cultus diuini merentur. Commodius itaque, ut mihi quidem videtur, haec distinctio effertur, si dixeris, cultum DEO exhibendum esse vel internum tantum, vel internum & externum simul, quod V. C. BILFINGER \* me docuit.

§. V.

Quid cultus  
internus exi-  
gat?

Vtriusque proinde cultus necessitatem ex rationis principiis suademus, quam sigillatim etiam probabimus, ab interno statim exorsuri. Et hic quidem in recensendis ejus partibus non adeo multus ero, quia luce sua haec omnia radiant; nec opus habeo, ut necessitatem ejus in specie iterum demonstrarem, euieta iam iam in genere cultus diuini necessitate. (§. 3.) Quicumque igitur summam DEI, quas solus possidet, perfectiones interne secum reputat atque miratur, is non potest, quin

\* In Diss. de cultu DEI rationali, quae Tubingae 1731, habita fuit. § VII, pag. 14.



quin eum *honore prosequatur*; honor enim est iudicium, quo in alio perfectiones quasdam agnoscis. Ex cuius perfectionum consideratione spes tibi relinquitur, fore, ut is easdem in tuum quoque commodum adhibeat, illum non poteris non amore complecti. Summus itaque nos DEI tenere debet *amor*, quia deprehendimus, quod perfectionibus ejus, & benignitati potissimum omnis nostra adscribenda sit felicitas, & quod in posterum etiam felicia & commoda quaeuis ab eo tuto expectare possimus. \* Amor namque voluptas est, ex alterius perfectionibus oriunda Si summa alterius in aliquem extant beneficia, sique ab eo bona quaeuis in se redundatura sperare quis potest, is omnibus sane sibi cauebit viribus, ne quare voluntatem personae amatae offendant. DEI quapropter amor cum cautione etiam, ne ei aduersetur, coniungendus est, seu, quod idem est, Summo Numini *timor* quoque praestari debet. Ita autem haec Numinis reuerentia comparata sit, non ut ex metu, ne in poenas eius incurramus, procedat, sed ut ex solo amoris, quo erga DEVM ferimur, affectu ab iis, quibus ille offendi potest, & quae perfectionibus diuinis sunt contraria, abstineamus. Hic timor in scholis theologorum vocatur filialis, atque opponitur seruili. Summa porro in DEO *fiducia* collocanda est, & spes firmissima concipienda, fore ut is, cui vitam acceptam ferimus, & cuius tot in nos extant beneficia, salutis nostrae optime prospiciat. Hinc ei ut potentissimo, sapientissimo & benignissimo vniuersi hujus gubernatori fidamus; cumque sciamus, eum rerum euentus ita disposuisse, vt singulis creaturis tantum boni contingat, quantum ipsis conducere cognouit, nostrum est, ut in voluntate diuina acquiescamus, \*\* nulloque euentu, licet subinde minus prospero, perturbemur, sed feliciorum semper rerum nostrarum conditionem a prouida eius cura speremus. Cumque fiduciam in

B eum

- \* Hanc, qui DEO ob beneficia ab eo expectanda exhibeatur, amorem verum esse, negauit celeberrimus Galliae Episcopus FENELONIVS, atque magnam controuersiam mouit JACOBO BENIGNO BOSSVETO, itidem Episcopo & Ecclesiae Gallicanae eximio decori, qui nostram strenue defendit sententiam. Vid. LEIBNITIVM Tom. I. Epistolar. ad diuersos pag. 336. a Maxime Reuerendo KORTHOLTO editarum.
- \*\* Egregie hoc ethnicorum quoque philosophi, & Stoici praecipue, docuerunt, Sic EPICLETVS in Enchiridio suo Cap. LXXVII.

eum ponere debeamus, *inuocandus* quoque a nobis est **DEVS** seu cupiditas ipsi testanda est, vt nobis haec vel illa conferat beneficia. Quae si fuerint exhibita, eo maiori amore beneficii auctorem complecti, siue *grato animo* in eum affecti esse debemus. Hae sunt potiores partes, quas cultus **DEI** internus complectitur.

§. VI.

Qui eum negent,

Et hic eos non multum morabor, qui cultum hunc **DEO** praestandum esse negarunt, quales sunt ii, qui omnem **DEI** sensum eiurarunt & atheos se profitentur, quibus iure annumerandus est **BENED. SPINOZA**.<sup>\*</sup> Plane enim omnem religionem naturalem negat ex iuris naturalis obligatione, ut ne quidem cognitionem obedientiae erga **DEVM** homini per naturae ius concedi posse opinetur. Sed hi prius de Numinis Summi existentia sunt conuincendi, quod iam instituti nostri non fert ratio. Eiusdem furfuris sunt, qui eum in finem religionem tantum excogitatam fuisse sibi persuadent, ut sit quasi frenum, quod efferatos plebis animos in obedientia superioribus praestanda contineat, quique cum pietatis simulatoribus externum tantum cultum peragendum esse censent. Immo & isti veritatem thesios nostrae, qua internam Numinis venerationem ex ratione suademus, infringere videntur, qui notitiam **DEI** naturalem, insitam potissimum, penitus negare ausi sunt. Hoc recentissima aetate fecit celeberrimus **JOANNES LOCKIUS**,<sup>\*\*</sup> qui, postquam nulla principia animis nostris innata esse docuerat, & hoc principium, **DEVM** esse

ita praecipit: *Επι παντος προχειρα ευκτηρον ταυτα*  
*Αγε δη με ω Ζευ, και συ η περωμειη,*  
*οποι ποδ' υμιν εμι διατεταγμενος,*  
*ως εψουαι σπυδαιος, η δε ακνος.*  
*εαν δε μη εθελω, εχ ηπτον εψουαι.*

i. e. *Quidquid incipias ita precandum: Duc me o Juppiter, & tu sorziz necessitas, quorsum a vobis destinatus sum, ut volens & impiger sequar. Quod si autem minus velim, ut nibilo secius tamen sequar.*

Et **JUVENALIS** Satyr. X. v. 346. ita cecinit:

Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,  
 Permittes ipsis expendere numinibus, quid  
 Conueniat nobis, rebusque fit utile nostris.  
 Nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt Dii.  
 Charior est illis homo quam sibi &c.

<sup>\*</sup> In Tract. Theologico Politico Cap. XVI. pag. 184.

<sup>\*\*</sup> Essai philosophique concernant l'Entendement humain, traduit de l'Anglois par M. **COSTE** Amsterd. 1735. Libr. I. Cap. I. & II.

esse colendum negat hominibus esse insitum; \* immo omnem etiam theologiam naturalem, tum insitam, tum acquisitam in dubium vocasse mihi quidem videtur, dum gentes extitisse existimat, quae nullam plane Dei aut diuinitatis cuiusdam notitiam, immo ne vocem quidem ullam, quae DEVM & hominis animam significet, habuerint. \*\* B. FOERTSCHIVS † hanc LOCKII sententiam refutauit, qui cum GRAPPIO †† euolui meretur, §. VII.

Ad partes itaque cultus externi dilucidius explicandas me conuerto. Quid DEVM externo cultu prosequi <sup>Partes cultus externi.</sup> denotet (§. IV.) exposuimus; sique ita accipiatur, prout supra innuimus, non potest non ex cultu interno fluere, ob arctissimam corpus inter & animam unionem. Duplici autem ratione interior animi, quam de DEO concepimus, veneratio declarari potest, & verbis & factis. **VERBIS** quidem cultum DEO externum exhibere possumus, si summas eius, quas mente nobiscum reuerenter reputauimus, perfectiones verbis nunc, vel soli nobiscum, vel coram aliis significemus, DEVMque laude & gloria celebremus; sermo enim, quo alterius perfectiones proferuntur, laus dicitur. Porro, quae princeps cultus externi pars est, si cupiditatem nostram, ut bona varia nobis conferat, verbis ei significamus, precesque ad eum fundimus; inuocationem quippe verbis expressam *preces* vocari inter omnes constat. Cumque dictio poetica maiorem in animo excitet attentionem, \* cumque ea, quae canuntur, tanto altius menti infigantur, suo etiam tempore *cantibus* DEVM celebrare debemus. Gratum denique animum DEO sermonibus quoque prodere possumus, id quod *gratiarum actionem* nuncupamus. Non tantum verbis, sed etiam **FACTIS** internum animi cultum commonstrare & nomen diuinum celebrare debemus. Id quidem fit generatim, si omnes actiones nostras ad regulas perfectionum diuinarum examinemus, atque ex motiuo

B 2

tiuo

\* Lib. I. Cap. III. § 7 pag. 44.

\*\* Lib. eod. Cap. eod. §. 8. pag. 45.

† In Exercit. de notitiis insitis, ubi collatio hypotheseum Lockii & Poiretii cum scriptura instituitur. Extat in ejus selectorum theologorum breuiario, Tom. II. Exercit. XVI pag. 66. sqq.

†† In Systemate nouissimarum controuersiarum Part. I. Qu. I. p. 2. sqq.

\* SENECA Epist. XXXIII. Facilius singula insidunt circumscripta & carminis modo inclusa, Conf. Epist. LXXXIV.

tius congruentiae cum illis suscipiamus. Sic duo homines proximum diligere possunt ex diuerso principio, alter ob commodi causam, alter autem eam ob rationem, quia nouit DEVM esse benignum atque velle, ut omnibus suis creaturis bene sit; Hic proximum amando DEVM simul colit, quia ex motiuo attributorum eius agit, ille autem minus. Aequali ratione officia, quae sibi quisque debet, praestari possunt, ut omnia in honorem DEI cedant. Placuit idcirco nonnullis omnem DEO exhibendum cultum distinguere in immediatum, quem actiones illae constituunt, quas plane omitteremus, nisi diuinarum rerum cognitione imbutus esset animus noster, & mediatum, quem hic poscimus, & quem dicunt consistere in illis actionibus, quas viri honesti non penitus negligenter, etiamsi sine diuina cognitione forent, quam distinctionem Celeber. quoque BILFINGERVS\* adhibuit. Potissimum tamen factis DEO cultum exhibemus, si ad meditandas diuinas perfectiones cum aliis, certis temporibus, certisque locis conuenimus, si eos, qui de rebus diuinis verba ad nos faciunt, attente auscultamus, si precibus, cantionibus, gestibus deuotis variisque ceremoniis, quae pro fundamento perfectionem quandam diuinam habent, unum alterum ad venerationem huius Numinis excitamus, & quae sunt reliqua, quae sigillatim ob chartae angustiam recenseri vix possunt.

§ VIII.

Eius necessitas.

Necessitas autem cultus huius externi cum interno coniungendi, ex his potissimum tribus patet argumentis: I. Euicimus supra (§. 3.) homines eum in finem fuisse creatos, ut actionibus suis commonstrent, se DEVM habere pro ente perfectissimo, seu ut illas omnes in gloriam Numinis diuini dirigant. Monuimus porro hominum actiones alias esse internas, alias externas; (§. 4.) utrisque quapropter unusquisque declarare debet, se in DEO summas deprehendere perfectiones; nec internae tantum sufficiunt, sed externae his quoque addi debent. Praeterea nullam video rationem, quae hoc dissuadere posset, si enim anima DEVM colere debet, cur non & corpus, utriusque enim creator & conseruator existit. Huic adserto maius porro robur accedit, si II. perpendamus, eum longe melius summas DEI agnoscere perfectiones, qui magis viam & cre-

\* Citata Diff §. V. pag. 9. Conf. Eiusdem dilucidationum de DEO philosophicarum §. 496. pag. 597. sq.

crebriorem istarum instituat meditationem ; actionibus autem eiusmodi externis excitatur animus, ut eo saepius, eoque fervidius diuinas perfectiones cogitet, ergo maxime necessaria istae sunt ad cultum DEO rite exhibendum. Vnusquisque etiam ipse in se deprehendet, internos animi affectus excitari, aut certe magis commoueri, adhibitis externis insuper corporis gestibus motibusque iis, qui alias perturbationes istas animi concomitantur. \* Sic si quis varias ludicras actiones cum aliis una gaudentibus peragit, licet mente non adeo sit serena, sepositis tamen animi curis frontem tandem exporriget, totoque laetabitur pectore. Facili negotio haec ad DEI venerationem accommodari poterunt. Quaeso enim, si gestus, si verba, variosque corporis habitus, qui ex amore & reuerentia Numinis interna necessario in nobis oriuntur, reprimere velles, nonne ipsum DEO debitum amorem, timorem, quin totum cultum internum imminueres & tandem plane extingueres? nonne impedires aliquid, quod DEVS ipse per naturam te iubet? Immo tandem III. ex hoc etiam capite necessitas cultus externi maxime elucet, quia hac ratione aliis quoque tuam, quam de DEO foues, venerationem declarare, eosque non tantum ut te imitentur, quin & superent, inuitare poteris. DEVS autem hanc ob causam uniuersum hoc condidit, ut suas patefaciat perfectiones; iam quo plures tuo exemplo ad admirandam Summi Numinis maiestatem adducis, eo magis actiones tuas ad voluntatem diuinam instituis, eoque magis de DEI in te gratia atque propensione certus esse poteris. Et, quod hic praeter eundem non est, rationem necessitatem cultus externi poscere, a posteriori quoque monstrare quam luculentissime possumus. Si enim recta ratio eam non suaderet, unde quaeso factum esset, ut omnes gentes Numinibus suis externum quoque exhibuerint cultum? Ad haec quid secus sentientes validi excipere possint non video.

§. IX.

Audiamus tamen eorum argumenta, qui necessitatem huius cultus in dubium vocarunt, aut certe eam ex rationis Qui eum & quibus argumentis negauerint.

B 3

- \* Egregie huc facit exemplum notissimi MOLLIERII, comoedorum sui saeculi principis, qui, cum aegrotantem in theatro ageret, eumque verbis & gestibus secundum naturam tam apte exprimeret, ipse in morbum incidit, & breui tempore post, aut ut multi tradunt in ipsa adhuc actione, morte extinctus fuit. Vid MOLLIERII vitam operibus eius praemissam p. 83 & BAYLE in diction. histor. sub voce Poquelin.

principiis nullo modo patefcare arbitrati funt. Hic Celeber-  
 rimus CHRISTIAN. THOMASIVS \* falutandus eſt,  
 qui ex his potiffimum argumentis negavit Ius naturae exter-  
 num Numinis cultum praecipere: quia 1) DEVS nulla corpo-  
 re facta interni de ſe concepti cultus declaratione egeat, utpote  
 qui intima cordis perſpecta habeat, 2) quia pax & tranquillitas  
 hominum ſine eo conſiſtere nihilominus poſſit, & quia 3) pia  
 mente & interna cordis veneratione longe rectius DEO cul-  
 tus exhibeatur, qui ut ſpiritus ſpirituali quoque modo ſecun-  
 dum apoſtoli effatum Joh. IV, 24. colendus ſit. Cui adſtipula-  
 tur IMMANVEL PROELEVUS \*\* cum aliis. Sed hic, *primum*  
 quidem obiectionis momentum quod ſpectat, cauſa ſpuria  
 allegatur, & fallacia non cauſae ut cauſae committitur. Lar-  
 gimur enim DEO externum cultum ideo non eſſe exhiben-  
 dum, ut de interno demum certior fiat, ſed ut eius perfectio-  
 nes actionibus noſtris omnibus eo magis patefaciamus, nam  
 externis hiſce actibus internam venerationem non DEO, ſed  
 hominibus ſociis teſtamur, eum in finem, ut nos imitentur, &  
 ut nos ipſos magis excitemus. Ad *alterum* quod attinet, nega-  
 mus noſ tuto, illam poſſe conſiſtere, ſi cultu publico atque ex-  
 terno diuinum Numen non colatur. Etenim illo intermiſ-  
 ſo, nulla religio docetur, vinculumque hoc animorum fideique  
 publicae tollitur, & ipſa erga principem obligatio laxatur. Et  
*tertiam* tandem ut declinemus obiectionem, ſupra monuimus  
 (§. IV.) externum cum interno ſemper debere eſſe coniunctum;  
 interim tamen haec non valet conſequentia, quia actus externi,  
 per ſe ſolum conſiderati, nullam partem cultus diuini conſtitu-  
 unt, ergo nullo modo, & ne quidem dum, quando ex interna  
 perfectionum diuinarum veneratione procedunt, eam conſtitu-  
 unt? Eadem ratione negare poſſemus DEVM ullo timore eſſe  
 proſequendum, quia iſte timor, qui non oritur ex amore diui-  
 no, DEO diſplicet. Pluribus haec fuerunt refutata a BAR-  
 BEY-

\* In Inſtit. Jurisprud. diuinae Lib. II. p. 149. & in ſeiner Ein-  
 leitung zur Sitten-Lehre Parte I. Cap. 3. num. 32. Ipſe tamen po-  
 ſtea ſuam ſententiam nonnihil mutauit, dum in Emendatis ad Lib. II.  
 Inſtitut. Jurisprud. D. cap. I. §. 19. concedit, neceſſitatem cultus ex-  
 terni, non quidem ex principiis iuſti, interim tamen ex principiis ho-  
 neſti & decori poſſe deriuari.

\*\* In ſeinen Anmerkungen über Puffendorffs Lehr-Sätze des Rechts  
 der Natur, Lib. I. Cap. IV. §. 4. ut & in Diſſ. de religione hominis  
 & boni ciuis naturali geometricè demonſtrata §. 9. propoſ. 10.

§. X.

Mei officii iam esset, ut sigillatim uniuscuiusque partis <sup>Precum po-</sup>  
utriusque cultus necessitatem etiam demonstrem, sed cum ve- <sup>tissimum ne-</sup>  
rear, ne prolixitatis nauseam secum ferre videatur epistola, de <sup>cessitas,</sup>  
precum tantum necessitate pauca quaedam adhuc subjungam.  
Eam felici successu nobis iam iam ex ratione demonstratam  
dedere, & contra insultus impiorum hominum mascule defen-  
derunt, duo Celeberrimi Angli, JOANNES ARCHERIVS, \*  
& GEORG. BENSON. \*\* Nos in compendio eam ita proba-  
mus: Inuocationem ad interni cultus partes pertinere supra  
monuimus (§. V.) Is enim DEVM colit, qui ejus profectio-  
nes meditatur cum veneratione; si autem quis a DEO sibi bo-  
num quoddam exoptat, is necessario de ejus benignitate, qua  
confidit DEVM velle, de ejus omnipotentia, qua credit DEVM  
posse, & de ejus sapientia summa atque omnipraesentia, qua sibi  
persuadet DEVM optime scire illud ipsi exhibere, debet esse  
conuictus. Quod autem haec interna animi desideria verbis  
etiam exprimere teneatur homo, hoc me conuincit, quia hac  
ratione maiori animi attentione diuinas istas meditari potest  
perfectiones, nihil enim est, quod eum in hac meditatione tur-  
bare possit, adhibitis corporis quoque sensibus, qui alias, aliis fa-  
cile perceptionibus vacantes, attentionem imminuere possunt.  
Si autem verbis exprimimus animi nostri cogitata, tunc auri-  
bus etiam prolata verba percipimus, sentimus artuum & lin-  
guae motus, quos confidentiae affectus in nobis producit, &  
sic impedimus, ne sensus externi ad alia obiecta dilabantur, sic-  
que longe perfectius de diuinis cogitare possumus attributis.  
Turpiter itaque suam minus adaequatam de precibus profes-  
si sunt notionem, qui illarum necessitatem penitus denegarunt,  
quod

\* In notis ad PVFFENDORFII Lib. II. Cap. IV. §. 3. de Jure  
Naturae & gentium.

\*\* In Disputatione de pietate philos. in selectis J. N. & G. pag. 223.

\*\*\* In Diss. de cultu DEI externo, Lips. 1713. habita.

\* In libro cui titulus: Essay and vindication of the use and advantage  
of Prayer. prodiit Londini 1730.

\*\* In tract. the End and Desing of Prayer, Lond. 1731. quem Max. Re-  
verend. KORTHOLTVS in linguam vernaculam 1736. transtulit, &  
variis eruditis maectavit annotationibus.

quod BLOVNTIVS,\* SCHAFFSBVRY \*\* & Comes de RO-  
 CHESTER \*\*\* non fuerunt veriti. Maximum eorum, quo  
 sibi valde placent, argumentum hoc est, DEVM ab aeterno  
 rerum omnium nexum formasse, in quo de singulis disposuerit  
 euentibus, cumque hic sit sapientissimus, DEVM clamitationi-  
 bus hominum eo non posse adduci, ut illum immutet. Quod  
 si tamen eis etiam hunc rerum omnium nexum concedere-  
 mus, de necessitate precum nondum actum esse mihi videtur.  
 DEVS enim in ordinandis uniuersi huius euentibus non se-  
 cundum decretum absolute necessarium egisse, sed ad actio-  
 nes infimul humanas respexisse, conuenientius cum eius per-  
 fectionibus dictum mihi videtur. Aliter itaque eueniet istis  
 qui precantur, aliter istis qui preces intermittunt. Idcirco  
 nihil hoc rerum omnium nexu lucrantur secus sentientes. Fa-  
 xit saltem Summum, quod in coelis est, Numen, ut omnes isti,  
 qui impias de precum necessitate, fouent opiniones, aut illa-  
 rum certe exercitium intermittunt, ad sanio-  
 rem mentem accedant!

S. D. G.

\* In vita Apollonii Tyanaei pag. 38.

\*\* In eius Operibus, quae Londini 1711, sub hoc frontispicio, *Charact-  
 ristics* prodierunt, Vol. I. pag. 170.

\*\*\* Vide eius vitam, quam doctissimo Angliae Episcopo BVRNETO  
 debemus, quae & Lips. 1735. in lingua vernacula prodiit, p. 47 199.  
 edit, Germ. Ad meliorem tamen frugem hic comes tandem rediit,



Coll. diss. A. 238, misc. 34